



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 56. Animorum dissensio in Anglia per seditiosos Sachevereli Prædicantis sermones concitata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII.
A. C. 1710

§. LVI.

*Animorum dissensio in Anglia per se-
ditiosos Sachevereli Prædicantis
sermones.*

Desperatis Gallorum rebus peroppor-
tuna accidit Anglorum defectio; Anna enim Regina, postquam decre-
toriiis quinque præliis inimicum tam
glorioso depresserat, ut *Mater Europæ*,
Heros invicta, omniumque foeminarum
felicissima deprædicaretur, tandem fo-
mina fuit, atque inexpectata muta-
bilitate foedus cum Cæsare, Batavis-
que juratum dissolvit, & in Gallicas
partes transiit. Occasionem hujus mu-
tationis præbuit factio Toryorum, seu
eorum, qui Regiam potestatem extol-
lere satagunt; hi enim ægre ferentes,
quod Regina Wiggiiis seu Popularibus
primas tam in Senatu, quam in castris
tribuisset, Wiggianum illud Regnum
evertere statuerunt. His sese non modo
Robertus Harleius Oxfordiæ Comes,
sed præcipue Tallardus Franciæ Ma-
rescallus ab Höchstadiano prælio in An-
glia captivus, qui Wiggios Carolo Hi-
spaniæ Monarchiam asseri, Gallorum
vero potentiam frangi unice intentos
esse dolens, Marleburgum ejusque fa-
miliam Reginæ & populo invisam red-
dere

*Rapin Tiroy-
ras cont.
t. 12. p. 321.
Lambert.
t. 6. p. 323.
Salmon hist.
d' Angl. t. 2.
pag. 2.*

Sæc. XVIII. A. C. 1710. dere fatagebat, & Nationem ac Regnum immensis belli sumptibus exhauriri, ære alieno gravari solosque Marleburgi amicos, Austriacam Domum, Sabaudum, Batavos & Germaniæ Principes ditari jactitabat: Ita clanculum in cubiculis principio, mox in Aula valentius, & in populis pene cum clamorosa rebellione dicebatur: Hisce diffensionibus apertas faces subjecit Henricus Sacheverellus Londinensis Basilicæ Ecclesiastes, qui Toryorum & Anglicanæ Ecclesiæ commodo disertus, facundia sine dubio conducta ad frequentissimam concionem duas habuit orationes, in quibus fronte (quod excitatæ petulantix, præfidentesque nebulones solent) inter consilium imperiumque media, *passivæ obedientiæ* doctrina stabilita Wiggios, & ex obliquo Marleburgi amicos ac clientes peracerbe exagitabat, eosque *falsos fratres* erga Deum & Ecclesiam appellitans, iis auctoribus iniquissimas leges de Regni successione nonnisi ad Protestanticum Principem devolvenda, de Non-Conformistarum tolerantia proculas, atque injustissimum Jacobi Stuarti exilium fuisse decretum, ac inde extremum Ecclesiæ, ac patriæ excidium periculumque imminere ajebat: Hæc Tribularis Declamatoris temeritas adeo
Toryis

Toryis placuit, ut ejus sermones ty-
 pis vulgare haud dubitarent: Tum ve-
 ro clamoribus dissonis & ambiguis im-
 pletur Londinum, incalescunt partes,
 avertuntur mentes, ac litigiorum mi-
 nacium acrimonia ingravescente, tan-
 tum non bellum civile oriri videtur.
 Ast diffensionis Authori utriusque Se-
 natus suffragio dies dicitur, ejusque caus-
 sa diebus compluribus agitata, custo-
 diæ traditur, tandemque die prima
 Aprilis in eum pronuntiatur sententia
 pro criminis gravitate omnium existi-
 matione mitior; quamvis enim læsæ
 Majestatis ac proditoris reus damna-
 retur, Regina tamen jamjam ad To-
 ryos, proin Gallorum partes incli-
 nante, sola multatus est pœna, ut a
 concionibus per triennium abstineret,
 ejusque Conciones typis editæ manu
 carnificis ante fores Curix combure-
 rentur: Hac sententia quasi absolutus,
 universum Regnum pervagatus est, ac
 veluti Ministerii & Parlamenti debella-
 tor ab omnibus Urbium Magistratibus
 Proceribusque magnificentia, hono-
 rumque testificationibus Principi ac
 victori debitis exceptus est: Regina ve-
 ro Godolphinum plurimosque primæ
 dignitatis Proceres atque Administros,
 quos novis suis consiliis Gallisque ad-
 versos suspicabatur, exauctoravit, dis-
 soluto-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1710.

Sæc. XVIII. solutoque Parlamento novos Aulæ ob-
 A. C. 1710. sequentes substituit.

§. LVII.

*Belli Hungarici continuatio contra
 Ragotsianos.*

Interim in Hungaria hoc quoque anno pro hujus belli genio varia & multiplex fuit expeditio; præprimis enim Löffelholzius Cæsareus Bellidux Lentsoviam Ragotsianis deditioe eripuit, quam urbem per plures Menses non modo præsidiariorum pertinacia, sed potissimum perfidia sustinuit Calvinistarum, qui in menses plures frumenta obsessis subministrarunt, toto hoc bello rebellibus fideliores, quam Regiis. Postea Ragotsiani a Sichingio Præfecto ad Ypolum, & rursus ab Hochbergio Nitriæ Præfecto cæsi fuere, quam tamen suorum cladem inhumana Ladislai Ocskaii nuper capti morte ulciscabantur: vicissim vero Heisterus, Palfius, alique Belliduces, Scolnockino, Partfelda, Eperiesino Scepusiensi arce, Ujvarino, Neosolio, Agria, Tockaio aliisque urbibus rebelles ejece-
 runt: cum vero Adamus Baloghus cum rebellium latronumque agmine inferiorem Hungariam, capto etiam Francisco Esterhasio Comite multisque No-
 billi-